

246 PER QUAS PERS. OBL. ACCQ.
ait prator. 3. §. interdum. 9. dict. tit. Interdum e-
tiam de culpa levissima: ut in casu l. si pupilli. 6. §.
ult. ff. eod. (de quo & Imperator. in §. 1. circa fin.
Inst. de oblig. quæ quasi ex contr, accipiendus est)
ipsisque casibus fortuitis dict. l. 11. ff. de neg. gest.
Quorum casuum rationes singulares, se ipsas o-
stendunt manifestius, quàm ut ad firmandam
sententiam, regulariter præstandæ culpæ levissi-
mæ, (quæ omnes facilè à gerendis absentium ne-
gotiis absterreret) allegari possint.

CCCXXIV.

*An & ex operis servi usuarij acquirere
possimus?*

Possumus: §. per eum. 2. Inst. per quas pers. nob.
obl. acquir. non quidem ut nos òperas ejus lo-
cemus: nec ut ipse servus eas locet: l. plenum. 12.
§. ult. pr. & l. per servum. 14. pr. ff. de usu & habit.
Sed ut opera servi in opere, quod nos expedien-
dum conduximus, utamur: dict. l. 12. §. ult. vers. i-
dem tamen, vel ipsi servo pro opera mercedem
imponamus. l. sed ipsi. 13. eod. tit.

CCCXXV.

*An, & quatenus, pro alia solvens, debitorem
liberet, eundemque sibi obstringat?*

Si debitoris nomine, & eo vel mandante vel rat-
tum habente solvat, liberat eum ipso jure: l.
nulla. §. C. de solut. l. qui mandat. 56. ff. eod. Sin suo
nomine, vel pro ignorante & invito; liberat qui-
dem eum, pr. Inst. quib. mod. toll. obl. l. solutione. 23.
ff. de solut. Veruntamen non ipso jure: l. Papinia-